



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

4. De his quæ sunt necessaria ijs qui in spiritualibus exercitiis occupantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

QVINTVS fructus est : quia longè plus proficit & meretur , qui pauca ordinatè operatur re-
cta intentione , quàm qui agit multa & difficilia
vagus absque certo modo & ordine. Et vt San-
cti testantur , vtilius est vnum opus rectè ordi-
natum sapientis ; quàm multa laboriosa insipi-
entis.

CONSIDERA ergo quàm copiosus fructus ac-
crescit eis , qui cor suum tradere curant certis
vel determinatis exercitijs. Et quia tantus in eis
prouenit fructus , Deo adiutore , aliqua certa &
determinata exercitia disponemus , in quibus
per totam hebdomadam valeamus exercitari
secundum prædictas tres vias : scilicet , Purgati-
uam , Illuminatuam , & vnitiuam : prout inté-
rius est dicendum.

QVAS CONDITIONES DEBENT HA-
*bere qui in exercitijs spiritualibus exer-
cendi sunt.*

C A P V T IV.

Oportet primo fratres dilectissimi , vt illi
qui in spiritali vita vult exercitari , ab omni
mni mortali crimine cor suum expurget per
contritionem & confessionem : cor enim im-
purum Spiritus sancti influxus nequaquam ca-
pere potest.

SECUNDA conditio est , vt omnem abhorrea
carnis voluptatem , fugiens omnem leuitatem
videlicet , Risum , Fabulas , & quascunq; huius
modi consolationes. qui vt ait Bernardus ; de-
cata est diuina consolatio : & non datur adm-
ter

rentibus alienam. Et Augustinus dicit; Cùm cor nostrum habet vnde delectetur exterius, absque consolatione manet interius. Filij Israël non receperunt manna, donec defuit eis farina quam de Ægypto asportauerant. Et quæ est frater farina Ægypti nisi nostra secularia opera, quæ donec defint, cœleste manna quod est diuina consolatio, nequaquam gustare valemus.

TERTIA conditio est, vt cor à curis exterioribus & superfluis sit alienum: vt quasi vas vacuum diuinæ gratiæ implendum illud offerat.

QUARTA est: vt spiritualem profectum ardeat fitiat ad instar Iacob qui pro Rachele seruiuit non sentiens præ amoris magnitudine solis ardorem, neque hyemis algorem. Sit feruens in recolendo sua exercitia & in obseruando rememorata: ita vt nec minima negligat. nam qui minima negligit, paulatim decedit.

QUINTA conditio est, vt sit moderatus, id est, discretus in exercitiorum electione & executione; ne eorum multitudine grauetur: & ob indiscretionem ab intento fine fraudetur. Alio enim modo nos debemus habere circa finem, qui est diligere Deum sine mensura, & eum in cor nostrum imprimere: vt nullatenus aliquo consilio ab actu interioris (si fieri potest) dilectionis cessemus: nam huiusmodi dilectioni nullus ponitur terminus. Et alio modo nos debemus habere circa ea quæ nos ad finem deducunt: quæ sunt spiritualia exercitia: & sic ea ordinare, quatenus facilius nos valeant in optatum finem deducere: qui est diuinus amor & cordis

cordis

cordis puritas: vt in collationibus Patrum: & in tractatu, Beatus vir scribitur.

QUALIA DEBENT ESSE EXERCITIA spiritualia: & de eorum moderate.

CAPVT V.

Non expedit frater vt leuiter eligas qualicumque exercitia: quin potius debes ea eligere & formare secundum Sanctorum patrum exempla: iuxta illud quod scriptum est: Omnia fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est in monte. Obseruabant autem sancti Patres in suis spiritualibus exercitijs certas condiciones: quas & tu in tuis obseruare debes.

PRIMA est, vt diuinis scripturis & sanctorum dictis, & patrum exemplis consonent; nam quicquid sacrae scripturae dissonum est, non immerito licet videatur bonum, suspectum est. Et quia sunt multi qui ad suum sensum scripturarum intellectum extorquent, ideo oportet tua exercitia cum aliquo spirituali & illuminato viro tractes: & super his eius consilium accipias.

SECUNDA conditio est diligenter attendere, vt exercitia sint moderata, maxime quantum ad duo secundum Sanctorum doctrinam. Primum est, ne nimiam afflictionem, neque immoderatam occupationem in eis sumas. Nam propter afflictionis nimietatem mentis dulcedo in amaritudinem vertitur: & propter immoderatam occupationem mentis tranquillitas destruitur. Vnde sic oportet exercitia moderari.